

vincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, privilegiis quoque, indultis, quibusvis Tribunalibus, & Curis, illorumque Judicibus, & præsertim causarum dictæ Camere Apostolicæ Generali Auditori in genere, vel in specie concessis, & innovatis, ac concedendis, & innovandis, necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis expressum fuit, non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illis alias in suo robore permanens ea vice dumtaxat specialiter, & expresse derogavit, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis, sub Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 6. Martii 1592. Pontificatus sui Anno Primo, expeditis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus licet stantibus ita præmissis omnis jurisdictio, & superioritas in singulis causis hujusmodi Protectoribus præfatis competere noscatur, ac etiam idem Gregorius Prædecessor per alias suas literas spirituales jurisdictionem, & animarum curam quam Ecclesiæ dicto Collegio unitæ habent, totam ad ipsius Collegii Protectores pertinere, & si quid forte in prædicti Collegii Constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret, vel ambiguum, id Protectores, & Superiores prædictos, re mature deliberata, ex communi omnium consensu supplere, & declarare ac ad alia extendere posse voluerit, & desuper Collegium, illiusque Protectores, Collegiales, Personæ, & Ministri hujusmodi molestari non debeant, nihilominus nonnulli, ut etiã accepimus contra mentem, & intentionem Prædecessorum nostrorum prædictorum sese in jurisdictione hujusmodi, aliisque præmissis intromittere præsumant, & procurant, ac jam forte lites desuper introductæ reperiantur, Nos propterea in præmissis omnem dubitandi occasionem tollere volentes, necnon omnium, & singulorum Prædecessorum nostrorum prædictorum, literarum, commissionum, & concessionum, ac per eas Collegio, & Scholaribus præfatis, eorumque, & Ecclesiarum eidem Collegio unitarum Ministris, & personis, ac bonis, juribus, & rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, & concessionum tenores, & compendia sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, ac si de verbo ad verbum præsentibus inferti forent, eidem præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus non ad ipsius Collegii Rectoris, & Collegialium prædictorum, aut quorumcumque aliorum Nobis desuper oblata petitionis instantiam,

sed ex mera nostra liberalitate, illas, et illa cum omnibus, et singulis in eis contentis, et inde sequentis, et sequendis dicta auctoritate tenore earundem præsentium approbamus, et confirmamus, ac grata, et rata habemus, illisque omnibus, et singulis perpetuæ, et inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, ac solemnitate quarumcumque de jure, usu, vel consuetudine aut alias quomodolibet requisitarum, vel necessariorum, ac quovis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet, intervenerint, etiam si tales sint qui specialem, et expressam requirant mentionem in eisdem supplementis. Decernentes ipsas literas, et in eis contenta quæcumque perpetuo valida, et efficacia esse, et fore, perpetuoque, & inviolabili firmitatis, & validitatis robore subsistere, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, firmiter, & inviolabiliter observari, et adimpleri debere, ac ab eis nullo unquam tempore quovis prætextu, colore, vel ingenio recedi, aut resiliiri posse, & nihilominus pro potiori cautela, motu, scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus omnes, & singulas, ac quascumque lites, causas, differentias, quæstiones, & controversias inter Protectores, seu Superiores, & Collegiales aut personas ab eis deputatas ex una, & quoscumque alios etiam locorum Ordinarios ex altera partibus super præmissis, aut eorum aliquo introductas etiam in Auditorio causarum Rotæ Palatii Apostolici, vel alibi coram quibusvis judicibus secularibus, vel Ecclesiasticis, ordinariis, vel delegatis, non tamen Protectoribus præfatis in prima, seu alia instantia pendentes indecisas in statu, & terminis, in quibus reperiuntur de præfenti etiam si illis ad calculum ferendæ sententiæ devenit, dummodo tamen in illis omnino conclusam non sit, ad Nos harum serie advocamus; Sicque advocatas penitus, & omnino supprimimus, extinguimus, & annullamus, ac ipsorum Protectorum, seu Superiorum, & Collegialium, aut personarum ab eis, ut præfertur, deputatarum adversariis, aut quibuscumque aliis in præmissis quomodocumque interesse habentibus, vel habere prætendentibus perpetuum desuper silentium ex nunc imponimus, ac propterea modernis, & pro tempore existentibus ejusdem Collegii Protectoribus, ac Superioribus, ut quotiescumque casus evenierit, ipsi omnia, & singula ejusdem Collegii Constitutiones, statuta, & decreta prout eis videbitur, & ratio distaverit interpretari, & dilucidare, atque etiam alia ex integro, & de novo facere, & condere, ac ab omnibus ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, nullo prævio examine, seu approbatione sub pœnis, & censuris eis benevis observari facere possint, et valeant pariter con-

Jurisdictio
præfati Col-
legii quibus
committitur.

concedimus, & indulgemus, necnon statuimus, & ordinamus, & ita etiam eorumdem Prædecessorum, & nostræ mentis, & intentionis fuisse, & esse declaramus, quod præter prædictos, & pro tempore existentes Collegii Germanici, & Ungarici hujusmodi Protectores nullus alius Iudex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, & facultate munitus tam Ecclesiasticus, quam Secularis, ac tam Ordinarius, quam delegatus tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, & negotiis ad præfatum Collegium, illiusque personas quascumque, res, bona, & jura ex quovis capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris, ac tam super obligationibus in forma Camere Apostolicæ, jure congrui, refectione viarum, seu Pontium, quam super re, & negotio concernenti artem Agriculture, ac etiam Annonæ, Doganæ, Ripæ, Ripette, Terræ studii, quam alias quomodolibet, & ex quavis causa, terminique judicialis, & censurarum susceptione, ac quavis alia de necessitate hic exprimenda causa, sive activa, sive passiva tam in prima, quam in secunda, & ulteriori instantia, ac quovis remedio tam ordinario, quam extraordinario quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem jurisdictionis tam Civilis, quam Criminalis, tam circa res, bona, & jura ipsius Collegii, quam illius personas, necnon Parochiales, ac sine cura Ecclesias, seu Cappellanas, Cappellanas, & Beneficia quæcumque dicto Collegio quomodolibet unita, seu annexa, aut ab eo ratione Monasteriorum, Prioratuum, seu Ecclesiarum ipsi incorporatorum quocumque modo dependentia, ac Presbyteros, Vicarios, Cappellanos, & Ministros quomodolibet nuncupat, illis pro tempore etiam in cura, & exercitio Parochialibus, ac divinis deservientes ad nutum Protectorum, vel aliorum Superiorum, aut Collegialium dicti Collegii, prævia tamen Ordinarii approbatione ponendos, & amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercentes possint, & valeat, curamque omnium, & singularum Ecclesiarum Parochialium, & Curatarum, ad prædictum Collegium quomodolibet spectantium ab omnimoda jurisdictione, superioritate, & Dominio quorumcumque Ordinariorum penitus, & omnino præterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis perpetuo eximimus, & liberamus, & propterea neque coram eodem Auditore Camere, ac ejusdem Camere Clericis Annonæ, Ripæ, Ripette, Præfidentibus, & Doganariis, ac Gabellæ Terræ studii, Consulibus, Magistris viarum, Camerario, Vice-Camerario, Senatore, & Conservatoribus Urbis, minisque coram Archipresbyteris, seu Protectoribus Basilicanis, & Ecclesiarum Sancti Joannis Lateranen., Sancti Petri, Sanctæ Mariæ Majoris, seu eorum Judicibus, de-

Ebull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

putatis, & Archiconfraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium, Confalonis, & Sancti Marcellini, Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Jacobi Incurabilium, ac aliarum quarumcumque Ecclesiarum, Hospitalium, Archiconfraternitatum Protectoribus, Commendatoribus, ac Rectoribus quibuscumque, & aliorum quorumcumque Tribunalium tam in Urbe, quam extra eam, & Curia Burgi existentium judicibus molestari, & inquietari, aut quoquo modo in judicium trahi, res, bona, jura, & personas supra expressas possint, aut debeant, nec minus possint, aut debeat sub quovis prætextu assertorum privilegiorum, indultorum, & exemptionum, quibus superscriptis judicibus, Protectoribus, Commendatoribus, & aliis quibuscumque expressis, & nominatis, ac de necessitate exprimentis, & nominandis, quin omnis jurisdictionis, & superioritatis in omnibus, & singulis causis superscriptis, & aliis quibuscumque Civilibus, & Criminalibus, meris, & mixtis ipsius Collegium, & ejus Scholares, ac Ecclesias eidem Collegio unitas, Ministros, Officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura, & curam animarum, illiusque exercitium, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad prædictos modernos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices deputatum, seu deputatos, vel deputandum, vel deputandos pleno jure in quacumque instantia etiam private quoad Vicarium Urbis, ac quoscumque locorum Ordinarios, & omnes alios quoscumque Judices præfatos, etiam quoad illarum totalem, & finalem executionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibusvis judicibus introductas, & pendentes reassumendi, & illis sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis arbitrio suo imponendis, moderandis, & applicandis inhibendi, ac in eventum non partitionis contraditores, & inobedientes, censuras, & pœnas ipsas incurrisse, servata forma Concilii Tridentini hujusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi interdicendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit invocandi, attentata, & innovata quæcumque revocandi, omniaque alia, & singula in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, & exequendi spectare, & pertinere in omnibus, & per omnia perpetuo debeant, et etiam modernis, et pro tempore existentibus dicti Collegii Protectoribus et Defensoribus, eorumque judicibus tenore earundem præsentium de novo perpetuo indulgemus, eisque liberam, plenam, amplam, et omnimodam desuper facultatem, et auctoritatem impartimur; districte propterea inhibentes omnibus, et singulis superscriptis Judicibus, Archipresbyteris, Protectoribus, Commendatoribus, Consulibus etiam Artis Agriculture, et aliis quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis

M m

et Se-

et Secularibus, quavis auctoritate, dignitate etiam Episcopali, & Archiepiscopali, seu alia majori potestate fungentibus, & functionis tam in dicta Urbe, quam extra eam consistentibus, ne sub nullitate omnium, & singulorum actuum, processuum, decretorum, mandatorum, & aliorum quorumcumque per eos fiendorum contra presentem nostram declarationem, indultum, & facultatem in dicti Collegii, illiusque personarum, ac rerum causis, litibus, negociis, et controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, et mixtis quovis modo, seu pretextu, et ratione privilegiorum, et indultorum ipsi, et eorum Officiis, et Tribunalibus etiam per Sedem predictam, aut alias quomodolibet concessorum sese ingerere audeant, seu presumant quoquo modo necnon irritum, et inane decernimus quidquid fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus litis pendentiis si quae sint, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis quibusvis Tribunalibus, Curis, illorumque Judicibus, et aliis quibuscumque, et praesertim dictae Camerae Apostolicae Generali Auditori, in genere, vel in specie Clericis, Praesidentibus Annonae, Camerario, Magistris viarum, Auditoribus causarum Rotae ejusdem Palatii Apostolici, Agriculturae, et aliis quibusvis Consulibus, Doganariis, Conservatoribus, Senatori, et aliis quibuscumque Judicibus, et Tribunalibus concessis, et innovatis, concedendis, et innovandis non facientibus de presentibus nostris literis specialem, et individua mentionem cum illorum insertionem de verbo ad verbum non autem per clausulas, et verba aequipollentia, ac Regula de non tollendo jure quaesito quatenus opus sit, necnon omnibus illis, quae in singulis literis praedictis expressa fuerunt non obstant; Quibus omnibus etiam de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permanens hac vicedumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possunt, per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, adjunctionis, suppletionis, decretorum, avocationis, suppressionis, extinctionis, annullationis, impositionis, concessionis, Indultorum, statuti, ordinationis,

declarationis, exemptionis, liberationis, impartitionis, inhibitionis, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo primo, duodecimo Kalen. Martii Pontificatus nostri Anno II.

§.2. Cum autem, sicut accepimus, praesertim quidem Gregorii Praedecessoris literae, & in eis contentis haecenus illibatae, ut par est observata fuerint, plenius vigorem obtineant de praesenti; firmiter tamen, atque solidius persistant, & perennent, illa, quae Apostolicae Sedis auctoritate saepius corroborantur: Hinc est, quod Nos praemissorum omnium, & singulorum inviolabili robori, firmitati, & efficaciae, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes: Motu simili, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine ad abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, omnia, & singula privilegia, facultates, jurisdictiones, superioritates, prerogativas, gratias, & indulta memorato Collegio, ejusque personis, rebus, & bonis, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ejusdem Collegii Protectoribus, & aliis quomodolibet a praefatis Joho III., Gregorio XIII., Clemente VIII., & Gregorio XV. Praedecessoribus, sicut praemittitur, respective concessa, & attributa, ac confirmata, & approbata, omnesque, & singulas eorumdem Praedecessorum litteras desuper emanatas, & praesertim praesertim dicti Gregorii XV. Praedecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, ac inde legitime sequuntis, & futuris quibuscumque, tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac rata, & grata habemus, illisque omnibus, & singulis perpetuae, atque irrefragabilis Apostolicae firmitatis vim, robor, & efficaciam adjungimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, & solemnitate quorumcumque ex iuris communis, & Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum etiam Cameralium, & Consistorialium, necnon Urbis, aliorumque statutorum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, eorumque reformationum, & novarum additionum, usum, & consuetudinum etiam immemorabilium praescripto, seu de silo, aut alias quovis modo in similibus, etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam quantumvis magnos, formales, & substantiales, ac incogitatos, & incogitabiles defectus, si qui in praemissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, seu alias quomodolibet intervenerint, vel intervenisse dici, censei, intelligi,

Confirmatur privilegia

Supplet defectus.

ligi, vel praetendi unquam possent, plenissime, & amplissime supplementis, ac sanamus, et penitus, et omnino tollimus, perimimus, et abolemus.

Cardinalibus Protectoribus omnem superioritatem in Collegio illic annexis confirmat.

§.3. Praeterea memoratos Cardinales dicti Collegii Protectores nunc, et pro tempore quodcumque existentes, omnem superioritatem, omnemque Jurisdictionem eis, sicut praemittitur, concessam, et attributam in quibusvis causis, litibus, et controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, et mixtis etiam private quoad omnes, et singulos Judices supradictos, et alias in omnibus, et per omnia prout in praesertis Gregorii XV. Praedecessoris expressum est circa Sancti Apollinaris de Urbe, et ruralem Sanctae Mariae in Cellano Portuensi, Dioecesi, Ecclesias, ac Sanctorum Sabae, et Andreae Urbis olim Cisterciensis, S. Petri Laudi veteris Laudensis, et S. Christinae Monasteria S. Benedicti Mediolanensis, five Papiensis, seu Nullius Dioecesis, ac Abbatiam secularem, five Monasterium S. Crucis Fontis Avellanensis ejusdem S. Benedicti Congregationis Fontis Avellanensis Nullius, seu Eugubini, Dioecesis, et Monasterium S. Stephani in Monte Caelio Urbis, S. Pauli Primi Bremitis Ordinum respective, eorumque Ecclesias, Cappellas, Cappellanias, et Beneficia, ac membra, dependentias, bona, praedia, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque dicto Collegio dudum, Apostolica auctoritate perpetuo unita, annexa, et incorporata, et ab eo quomodolibet dependentia, ac in alia quacumque Monasteria, Prioratus, Ecclesias, et Beneficia, quae eidem Collegio pari auctoritate in futurum quodcumque uniri, annecti, et incorporari contigerint, eorumque respective Personas, Presbyteros, Cappellanos, Vicarios, et Ministros quoslibet libere, ac sine ullo proliis impedimento exercere, ceteraque omnia eis per praesertim litteras quovis modo concessa, facere, et exequi posse, ac debere, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, decernimus, et declaramus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes pariter eandem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujusvis status, gradus, ordinis, praesentiae, et dignitatis, seu alias specificae, et individuae mentione, et expressione digni existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, seu cause propter quas ipsae praesentes emanarint adductae, verificatae, & justificatae ullatenus fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis iusta, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, pretextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantum-

B. II. Rom. Tom. VI. Par. VI.

vis magno, et formali, et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessa, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare quoquo modo posse, sed easdem praesentes literas semper firmas, validas, efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis censei, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, et Curiae Camerae Apostolicae generales Auditores, ac S. R. E. praedictae Camerarium, seu Pro-Camerarium, et alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon dictae Camerae Praesidentes Clericos, aliove quoslibet Officiales, et Ministros, ceterosve quoscumque qualibet praesentia, et potestate fungentes, et fundatos sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit pia mem. Pii Papae IV. Praedecessoris pariter nostri de gratis quaecumque interesse Camerae praedictae concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis, et registrandis, ita ut eandem praesentes literas ibidem praesentari, et registrari nunquam necesse sit, illisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, et singulis, quae dictus Gregorius Praedecessor in suis literis praesertim voluit non obstant, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 14. Julii 1668. Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 14. Julii 1668. An. II.

Indultum Priori Generali Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo concessum, conferendi lauream Doctoratus in Collegio Sanctae Mariae Transpontinae de Urbe Fratribus ejusdem Ordinis, qui titulo Magisterii sunt insigniti.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

UDUM fel. rec. Urbano PP. VIII. Praedecessori nostro pro parte quondam Theodorii Stratii tunc temporis Prioris generalis Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo exposito, quod ipse juxta regularia dicti Ordinis instituta, apostolica auctoritate confirmata, Ordinis hujusmodi Professores, qui eos cursus, lecturas, vel exercitia literarum peregerant, quae secundum eorumdem regularium Institutorum formam, et tenorem requirebantur, ejusdem Ordinis Magistros in Sacra Theologia creandi, et instituendi facultatem habebat, dummodo tamen iidem Professores Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii Generalis Universitate susciperent.

§.1. Quia vero in suscipienda Magisterii, sive Doctoratus in Universitate generali hujusmodi laurea intolerabiles pecuniarum summae expendenda erant in magnum pauperum inter Mendicantes Religionis detrimentum, et Collegium S. Theresiae Salamantinae ejusdem Ordinis semper habuerat, et imposterum habiturum sperabatur Regentes, et in eadem Sacra Theologia Magistros doctos, et in literarum exercitiis maxime versatos, per eundem Theodorum Priorem Generalem praefato Urbano Praedecessori supplicato, ut quo debitus virtutis honos ejusdem Ordinis Provinciae Hispaniae, et Lusitaniae Professoribus, qui in artibus, et Sacrae Theologiae hujusmodi studiis cursum perfecissent, et alias digni, et idonei essent, sublati expensis hujusmodi haberetur, super praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Constitutio Urbani VIII.

§.2. Idem Urbanus Praedecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, praefato Theodoro, et pro tempore existenti Priori generali dicti Ordinis, et omnibus, et singulis ejusdem Ordinis, et Provinciae praefatarum Professoribus, quos absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum a Regularibus dicti Ordinis institutis, ut praesertur, requisitis, et servatis alias servandis, Magistros in eadem Sacra Theologia crearet, et institueret, quod illi in praefato Collegio Salamantinae S. Theresiae cum rigoroso examine, et approbatione Regentium, et aliorum Magistrorum ejusdem Collegii, ac servatis aliis conditionibus juxta regularia instituta hujusmodi ne-

cessariis, a Superiore ejusdem Collegii Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream suscipere libere, et licite possent, et valeret, concedendi, et indulgendi facultatem, auctoritate apostolica concessit, et alias prout in ipsius Urbani Praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 26. Augusti 1634. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

§.3. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Matthaei de Orlando, ac Andreae Lao Prioris, et Procuratoris generalium dicti Ordinis respective Nobis nuper expositum fuit, majori parti Fratrum ejusdem Ordinis valde incommodum sit laurea doctoralis hujusmodi consequenda ergo ad memoratum Conventum Salamantin. accedere: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in Rubrica.

§.4. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum consilio, praefato Matthaeo moderno, et pro tempore existenti Priori generali Ordinis praefati petitam facultatem conferendi lauream doctoralem illis Fratribus qui ex praescripto Constitutionum Ordinis hujusmodi Magisterio insigniti fuerint, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus: ita tamen, ut illa extra Collegium Salamantinum non nisi in Collegio S. Mariae Transpontinae de Urbe ejusdem Ordinis, uti possit, ac salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, ejusque Provinciae etiam juramento, confirmatione Apostolica.

foli-

stolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 20. Julii 1668. An. II.

Datum Romae apud S. M. M. sub Anno Piscatoris, die 20. Julii 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Brevis Congregationis, sive unionis Matronarum, & Virginum Nobilium, & Illustrium sub denominatione Cruciferarum in Ecclesia, seu Cappella per Episcopum Viennensem designanda.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REDEMPTORIS, & Domini Nostri Jesu Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia fidelium praesertim sublimium personarum, quae non minus eximia devotionis, spiritualiumque rerum studiis, quam secularium bonorum splendore fulgent vota ad augendam vivificationem Crucis, ex qua salus nostra pependit, venerationem reverentiam, favoribus, et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Supplicatio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit charissima in Christo filia nostra Eleonora Romanorum Regina Illustris clar. mem. Ferdinandi III. dum vixit eorumdem Romanorum Regis in Imperatorem electi relicta vidua, quod cum particula Ligni Domini Crucis (ut pie creditur) in Cappella Palatii Imperialis Civitatis Viennensis debita cum veneratione asservaretur, et ante aliquot menses Palatium praedictum formidabili incendio, quo etiam muri ipsi consumpti fuerunt, conflagrasset, nihilominus particula praedicta, quam clara patris memoriae Maximilianus I. dum vixit eorumdem Romanorum Imperator semper Augustus, & memoratus Ferdinandus Rex semper eximie coluerunt, post quinque dies intacta inter extinctos carbonem, et cineres reperta fuit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicta Eleonora Regina peculiari sua erga Sanctissimam Crucem praefatam devotione, hocque etiam tam insigni miraculo, quod Dominus Noster Jesus Christus ad gloriam ejusdem vivificationis Crucis patrare dignatus est, mota, unam Matronarum, et Virginum Illustrium Cruci-

ferarum nuncupandarum, quae sub aeterni Regis Gloriosissima scilicet Crucis vexillo militare debeant, Congregationem, sive Unionem ipsa Eleonora Regina, ac dilectissimis in Christo filiabus Nobilibus Puellis Maria Eleonora, et Maria una Archiducissa Austriae ejus filibus, aliisque Matronis, et Virgines Nobilibus, & Illustribus tam Palatii Imperialis, quam aliarum partium in eam adscribi volentibus constaturam in Civitate praedicta Viennensem a Nobis erigi, et institui, ac spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorari summo opere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Facultatem erigendi Congregationem Cruciferarum concedit Pontifex.

§.3. Nos igitur, qui devotionis, et piorum operum, divinique cultus incrementum, ac animarum salutem paternae charitatis studio libenter promovemus, eximia memorata Eleonora Regina pietatem plurimum in Domino commendantes, ac laudabili ejus desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in Cappella Palatii Imperialis Viennensis, sive alia Cappella, seu Ecclesia per Venerabilem Episcopum Viennensem designanda, unam Congregationem, sive Unionem Principissarum ex Inclita Domo Austriae, aliarumque Matronarum, et Virginum Illustrium, & Nobilium sub titulo, seu denominatione Cruciferarum, cujus Consores processionaliter accedere, divina officia celebrare, se se congregare, et cetera, quae per Confratres, et Consores aliarum similium Congregationum, sive Confraternitatum fieri solent, facere libere, et licite possint, et valeant, accedente tamen ad id memorati Episcopi Viennensis consensu, et miraculo praedicto coram illo verificato, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo sine cujusquam praedictio erigimus, et instituiamus. Ac ipsius Congregationis, sive Unionis sic erectae, et institutae Consores pro tempore existentibus, ut quaecumque Capitula, Statuta, Decreta, et Ordinationes pro salubri earum, et dictae Congregationis, seu Unionis gubernio, et directione necessaria, et opportuna, licita tamen, et honesta, ac Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis, necnon Concilii Tridentini Decretis minime contraria, et per praedictum Episcopum Viennensem examinanda, et approbanda fieri, et edere, illaque pro tempore prout eis videbitur, et expediens fuerit, praevia tamen examinatione, et approbatione ejusdem Episcopi pro tempore existentis mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac insuper omnia, et singula legata, relicta, res, et bona quomodolibet qualificata mobilia, et immobilia per quoscumque Christianos eidem Congregationi, sive Unioni per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore data, relicta, donata, et clar-

gita, ac danda, relinquenda, donanda, & elargienda recipere, illaque per earum Officiales, & Ministros regere, gubernare, & administrare, ac in eisdem Congregationis, sive unionis, eisque piorum operum usus, & necessitates, ac utilitatem convertere, ita tamen, ut de receptis, & administratis predicto Episcopo Viennen. juxta Decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore predictis concedimus, et indulgemus.

Confororibus praesentibus indulgentias concedit.

§.4. Insuper, ut Conforores predictae in piorum operum exercitio magis confoveantur, et ad illa impofterum exercenda per amplius invitentur, distaque Congregatio, sive Unio majora in dies benedictent Domino suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus, et singulis Mulieribus, Matronis, et Virginitibus, quae Congregationem, seu Unionem hujusmodi impofterum ingredientur, die primo earum ingressus si vere poenitentes, et confessae, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperint, plenariam, ac eisdem in eujuslibet earum mortis articulo, si vere etiam poenitentes, et confessae, ac Sacra Communionem refece, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contrita nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon predictis Confororibus in eadem Congregatione, sive Unione pro tempore descriptis, Principis quidem ex inclyta Domo Austriae ortis, seu in ea pro tempore nuptis, quae semel in hebdomada, ceteris vero, quae quinque vicibus quolibet anno, vere poenitentes, et confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia, seu Cappella ipsius Congregationis, sive Unionis sumperint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione supplices ad Deum preces effuderint, qua vice predictarum id egerint respective similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.5. Praeterea omnibus, et singulis Confororibus predictis in eadem Congregatione, sive Unione pro tempore descriptis quoties aliquod christianae charitatis, vel pietatis opus exercuerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Demum, ut Ecclesia, seu Cappella in qua predicta particula Ligni Sanctissimae Crucis pro tempore aservabitur, congruis frequentetur honoribus, et Christiani fideles eo libentius devotionis causa ad illam confluant, quo ex hoc ibidem spiritualium gratiarum donis uberius noverint se refectos, omnibus, et singulis utriusque sexus Christianis fidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communionem refece, qui Ecclesiam, seu Cappellam hujusmodi in

Inventionis, et Exaltationis ejusdem Sanctissimae Crucis festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis utriusque festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die predictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque: Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§.7. Volumus autem, ut si alias distis Confororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus concessa fuerit, aut si dicta Congregatio, sive Unio alicui Archiconfraternitati unquam aggregetur praesentes, et quavis alia literae Apostolicae quoad indulgentias, et peccatorum remissiones praedictas illi nulloatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae apud S.M. M. sub Annulo Piscatoris, die 2. Augusti 1668. Pontificatus nostri Anno II.

Contrariis derogat.

Dat. die 2. Aug. 1668. An. II.

LXX.

Commissariatus pro sublevandis Communitatibus, & Universitatibus Status Ecclesiastici.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Dilecto filio Magistro Joanni Francisco Nigrono, in utraque Signatura nostra Referendario.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Paterna nostra erga hujus Sanctae Sedis subditos charitas facit, ut eorum sublevamini, commodis, & utilitati quantum cum Domino possumus libenter consulamus.

Procurium.

§.1. Hinc est, quod Nos felici Communitatum, & Universitatum status nostri Ecclesiastici, quas nonnullis indebitis oneribus gravari ex eorum recursibus ad Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum super illarum sublevamine a Nobis deputatam habitis intelleximus, statui, & levamento opportune prospectum esse cupientes, ac de tua fide, prudentia, & integritate plurimum in Domino confisi, Te pro rebus ad Annonam spectantibus, necnon pro revidendis rebus Montium Pietatis, Hospitalium, & aliorum locorum piorum, quorum administratio ad Communitates, & Universitates quarumcumque Civitatum (non tamen Beneventanarum)

Deputatus commissarius ad videndas communitates exceptas illas quatuor legationum

tanarum)

tanarum) Terrarum, Oppidorum, & Locorum Status Ecclesiastici praedicti extra quatuor legationes, ac districtum Almae Urbis nostrae consistentium spectat, ad easdem Civitates, Terras, Oppida, & Loca visitandum, auctoritate Apostolica tenore praesentium destinamus, & deputamus.

Auctoritas commissariis.

§.2. Dantes Tibi privative quoad omnes alios, liberam, amplam, & absolutam facultatem, & auctoritatem, omnes, & singulos redditus, expensas, & debita cujuslibet Communitatis, ac Universitatis, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum praefatorum, & Annonae, necnon rationes, & computa illorum, qui redditus, & bona earumdem Communitatum, & Universitatum atque Annonae, ac districtorum Montium Pietatis, & aliorum locorum piorum praefatorum quovis modo administraverint, etiam si alias revisa, & solidata fuerint, revidendi, quoscumque debitores tam seculares, quam Ecclesiasticos etiam Regulares utriusque sexus, ac omnes privilegiatos, etiam Fratres Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, & alios etiam in ecclesiastica, Episcopali, Patriarchali, ac etiam majori dignitate constitutos, illorumque famulos, ministros, oblatos, & colonos ad eorum debita persolvenda, manu regia, & sola facti veritate inspecta cogendi, necnon omnes lites, & controversias super praemissis exortas, eadem auctoritate concordandi, seu prout de jure terminandi, expensas, quae Tibi superfluae videbuntur, refecandi, quascumque collectas, seu gabellas, quae Tibi pro faciliore, & celeriori rerum praedictarum redemptione, necessariae, sive quomodolibet opportunae vix fuerint imponendi, Taxas Cancellariorum tam Tribunalium Gubernatorum, quam Communitatum, & Universitatum praedictarum in causis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, necnon Taxas exactionum gabellarum, & cujusvis generis gravaminum; pondera quoque, & mensuras revidendi, illaque ad debitum, & convenientem Justitiae modum reducendi, etiam quatenus ad Appaltatores Camerales spectat, juxta Tabellas ejusdem Camerae, ita tamen ut quantum ad hos procedas cum facultatibus dilecti filii Camerae nostrae Apostolicae Thesaurarii Generalis, quas Tibi ad hunc effectum communicamus; Ac cum eisdem facultatibus recognoscendi omne genus gravaminum, quae iidem Appaltatores, vel Subcolletores spoliolum, sive alii Ministri, & Officiales, aut Commissarii, tam Civiles, quam Criminales, alique quilibet per literas patentes dictae Camerae deputari quovis modo forsitan inferant, & signanter per gabellas, qua noviter introductae afferuntur, absque beneplacito Apostolico, & facultate necessaria, & observantiam Edicti Aldobrandini nuncupati, aliarumque ordinationum, & mandatorum variis temporibus datorum, & factorum, & nuper innovatorum procurandi, rationes, & computa solidandi, ac

controversias inter Communitates, et Universitates, necnon Appaltatores, sive alios Ministros, et Officiales, ac Commissarios, seu Deputatos hujusmodi respective vertentes, componendi, et decidendi, repartitiones quoque, quae pro reparatione Viarum, et Pontium fiunt, revidendi, atque si quid in his inordinatum repereris damnum injuste gravaris refici curandi, ac providendi, ut repartitiones hujusmodi in futurum debita rectitudine, et quantum fieri poterit minori cum subditorum nostrorum detrimento fiant: Et pro praemissorum omnium executione contra quascumque personas etiam quovis privilegio, et exemptione suffultas procedendi, abusus, et inconvenientia quaecumque circa exactiones onerum publicorum tam Cameralium, quam Communitativorum, necnon in ceteris omnibus, quae servitium, et sublevamine Camerae, et Communitatum, ac Universitatum, subditorumque nostrorum praedictorum concernunt quomodolibet introductos, et emanata respective tollendi, perimendi, et abolendi, ac denique omnia, et singula alia commodum Annonae, et Camerae, necnon Communitatum, et Universitatum, Subditorumque hujusmodi concernentia ad instar Congregationis super bono regimine Communitatum, et Universitatum Status nostri Ecclesiastici praedicti deputatae faciendi, dicendi, mandandi, et exequendi, praescribendo etiam in eis regulas, et Ordinationes, quibus, ut abusus hujusmodi de cetero non committantur subditique nostri ab indebitis gravaminibus immunes serventur, opportune provideri possit.

§.3. Volumus autem, ut a Decretis, et Ordinationibus per Te vigore praesentium faciendis, nulla ad quoscumque iudices admittatur appellatio, sed recursus tantum habeantur ad memoratam Congregationem super sublevamine deputatam.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Locorum praefatorum, aliisque quibuscumque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die quinti Aug. 1668. Pontificatus nostri Anno II.

A cuius Decretis non admittitur appellatio quae ad Congregationem deputatam.

Derogatio contrariis.

Dat. die 5. Aug. 1668. An. II.

Ex Regest. in
Secret. Breve.

Nova Concessio Cruciate Portugallie ad
Triennium a die quo Ulixbonæ, quoad
Portugalliam, et quoad loca ultra Ma-
rina a die quo in illis respective publica-
bitur computan.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Concessiones
Cruciate Por-
tugallie te-
nensur.

§.1. **I**ndulgentias, et gratias illas spiri-
tuales, et temporales ad certum
tempus publicandas, et duraturas per Sedem
Apostolicam concedi consuetas, omnibus,
et singulis Christianis in Portugallia,
et Algarbiorum Regnis, ac eorundem Re-
gnorum Insulis in Indiis Orientalibus, et
ultra marinis conquestis, Terris, et Locis
eorundem Regnorum Portugallie, et Al-
garbiorum huiusmodi Dominio temporali
subiectis commorantibus, et ad illa decli-
nantibus, necnon Regnorum predictorum
subditis in alieno dominio in distis Indiis
mercimonii causa (non tamen animo in
alieno dominio huiusmodi permanendi) de-
gentibus, qui certa munera adimpleverint
a sel. rec. Gregorio XIV. die 6. Aprilis Pon-
tificatus sui Anno primo, et deinde a Cle-
mente VIII. die 9. Februarii 1592., et 16.
Ianuarii 1598., et die 8. Octobris 1603.
necnon die 23. Aprilis 1604., et postea a
Paulo V. die 22. Junii 1605. ad triennium,
et die 16. Decembris 1609., ad sexennium,
et die 23. Decembris 1615. ad aliud sexen-
nium, et postmodum a Greg. XV., die 16.
Septembris 1621., et subinde ab Urb. VIII.
die 10. Junii 1625. ad sexennium, et die 11.
Februarii 1631. ad aliud sexennium, ac die
ultima Ianuarii 1637. ad aliud item sexen-
nium, necnon die 15. Ianuarii 1643. pariter
ad sexennium, ac ab Innocentio X. die
22. Junii 1652. etiam ad sexennium, et no-
vissime ab Alexandro VIII. Romanis Pon-
tificibus Predecessor. nostris die 20. Octo-
bris 1660., seu aliis verioribus temporibus
per suas in simili forma brevis literas ad
aliud etiam sexennium respective pariter
publicandas, et duraturas, concessas, et seu,
ut presertim, extensas, et prorogatas, fini-
tasque, & terminatas, quarum omnium
tenores presentibus pro expressis haberi
volumus, iustis, & gravibus causis adduc-
ti, motu proprio, & ex certa scientia, ma-
turaque deliberatione nostris, ac de Apo-
stolica potestatis plenitudine, omnibus
Christianis predictis cum omnibus, &
quibuscumque indultis, facultatibus, con-
cessionibus, declarationibus, extensionibus,
conditionibus, clausulis, & decretis
in literis eiusdem Urbani Predecessoris
contentis ad triennium a die quo presentes
nostræ literæ in Civitate Ulixbonen. quoad
predicta Regna Portugallie, & Algarbio-
rum; quo vero ad loca ultramarina prædi-
cta a die quo in singulis locis huiusmodi res-
pective publicabuntur computan., Apo-

Novam Cru-
ciatam inpo-
nit prout in
Rubrica.

stolica auctoritate, eorundem tenore præ-
sentium modo, & forma infrascriptis de
novo concedimus, & indulgemus.

§.2. Ac insuper omnia, & quacumque
privilegia, & facultates quibuscumque Ec-
clesiis, Monasteriis, Ordinibus, Confrat-
ernitatibus, & aliis locis Piiis, & personis
quibuslibet, ut prædicitur quacumque
etiam forsitan, Apostolica auctoritate quan-
documque etiam per viam communicatio-
nis, ac etiam motu simili, & alias quomo-
dolibet concessa, seu ab illis præterea præ-
dictis indulgentiis, & gratiis, sive spiri-
tualibus, sive temporalibus similia, vel in
earum defectum pro illis, & illarum vice
valitura, & profutura, etiam si speciali in-
digerent mentione, auctoritate, & tenore
prædictis perpetuo revocamus, cassamus,
abolemus, & annullamus, neminique in
posterum suffragari posse, aut debere de-
cernimus. Quamobrem de fide, industria,
& probitate dilecti filii Antonii de Mendoza
Canonici Doctoralis Ecclesie Portale-
gren. multam in Domino fiduciam habentes,
eundem Antonium Indulgentiarum, &
gratiarum spiritualium, & temporalium
prædictarum in Regnis, Terris, & Locis su-
prædictis cum omnibus, & singulis Indultis,
facultatibus, concessionibus, declarationibus,
extensionibus, clausulis, & decretis
in ultimo distis Pauli Predecessoris prædi-
cti literis expressis, Executores, & Com-
missarium Generalem auctoritate, & tenore
prædictis deputamus, eidemque plenam
& liberam in præmissis facultatem, & au-
ctoritatem tribuimus per se, vel alium, seu
alios, quos ad id idoneos duxerit eligendos
ad executionem præmissorum, & alias iux-
ta facultates concessas omni, & quacum-
que appellatione postposita procedendi,
aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præ-
missis, & circa ea necessaria fuerint, &
quomodolibet opportuna.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus
& Ordinationibus Apostolicis, ac Eccle-
siarum, Monasteriorum, Conventuum, &
Ordinum quorumcumque etiam juramen-
to, confirmatione Apostolica, vel quavis
firmitate alia roboratis statutis, & consue-
tudinibus, privilegiis quoque, indultis, in-
dulgentiis, facultatibus, & Literis Apo-
stolicis quibusvis Ecclesiis, etiam Cathedralibus,
& Metropolitanis, necnon Monaste-
riis, & Conventibus tam virorum, quam
mulierum, etiam mendicantium, etiam
quæ mare magnum appellantur, & quo-
rumvis Ordinum, etiam Militiarum, il-
lorumque Superioribus, & Personis, Uni-
versitatibus etiam studiorum generalium
Collegii Secularium, & Regularium perso-
narum, Confraternitatibus, & aliis locis
piis, sive in causam, & pro expeditione
contra Turcas, & alios fidei hostes, necnon
pro Fabrica Basilice Principis Apostolorum
de Urbe sub quibuscumque tenoribus, &
formis, ac cum quibusvis clausulis, & De-
cretis etiam motu, scientia, deliberatione,
& potestatis plenitudine similibus, &
alias

Cassat privi-
legia locis piis
concessa.

Depurat com-
missarium.

Contrariis
derogat.

Aliqua quoad
eleemosynam
vultu statuit.

Executores
deputat.

Decretum
irritans.

alias quomodolibet concessis, & innovatis.
Quibus omnibus, & singulis etiam si pro
sufficiency illorum derogatione, de illis,
eorumque totis tenoribus specialis, speci-
fica, expressa, & individua, ac de verbo
ad verbum non autem per clausulas gene-
rales idem importantes mentio, seu quavis
alia expressio habenda, aut aliqua alia
exquisita forma ad hoc servanda esset, te-
nores huiusmodi, presentibus pro expres-
sis habentes, illis alias in suo robore per-
mansuris ad præmissorum effectum, motu,
scientia, & potestatis plenitudine paribus,
præterquam quoad facultates concessas
Mendicantium Ordinum Superioribus,
quoad suorum Ordinum Fratres, speciali-
ter, & expresse derogamus, ceterisque
contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut eleemosynæ,
quæ causa, & occasione distarum Indul-
gentiarum, & gratiarum erogabuntur, in
usus in præcedentibus Literis Apostolicis
prædictis ordinatos dumtaxat convertantur,
& non aliis usibus applicentur. Quod-
cumque eleemosynæ sexaginta millium ducato-
rum auri de Camera Fabricæ prædictæ
Basilice Principis Apostolorum de Urbe
pro quolibet sexennio hætenus solvi con-
fusa, mediatis ex eleemosynis prædictis
videlicet decem millia ducatorum huius-
modi quolibet anno durante dicto triennio
per presentes concessio inchoando a die pu-
blicationis presentium in Civitate Ulixbo-
nen. respectu solutionis integræ eleemosy-
næ huiusmodi, respectu vero fructuum In-
dulgentiarum huiusmodi a die illarum pu-
blicationis, ut supradictum est faciendæ,
(una cum terminis, & residuis præceden-
tium sexenniorum decursis, & non solutis
si qui extant) Fabricæ prædictæ, & pro ea
personæ ad hoc a Congregatione Ven. Fra-
trum nostrorum S. R. E. Cardinalium ne-
gotiis dictæ Fabricæ præpositorum deputa-
tæ, & pro tempore deputandæ omnino solvan-
tur, utque pro solutione huiusmodi
idem Antonius, & pro tempore existens
gratiarum prædictarum Executor, & Com-
missarius Generalis antequam presentes
publicentur, & ad illarum executionem,
quomodolibet procedatur sese in ampliori
forma Camere Apostolicæ in favorem Fa-
bricæ prædictæ obliget. Decernentes irri-
tum, & inane, quidquid fecus super his a
quoquam quavis auctoritate scienter, vel
ignoranter contigerit attentari. Quoniam
vero non reperitur in illis partibus du-
cati auri de Camera huiusmodi quorum
singuli constant ex scuto uno auri in auro
de Stampis æquivalente mediæ duplæ au-
ræ Hispaniæ, ac ex uno Julio bajochorum
decem monetæ Romanæ æquivalente Re-
gali Ulixbonen. iuxta pondus, & intrinse-
cam bonitatem antiquam; Idcirco volumus,
ut pro unoquoque ducato auri de Ca-
mera huiusmodi pro triennio per presen-
tes concessio, solvatur Fabricæ prædictæ
mediæ Duplæ aureæ Hispaniæ, & unus Re-
galis Ulixbonen. secundum pondus, & in-
trinsecam bonitatem antiquam, vel saltem
Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

verus dictæ mediæ duplæ aureæ nupc, &
pro tempore currens, & Regalis huiusmo-
di valor, alioquin aliter facta solutio ab
obligatione non liberet, eoque casu, ac
etiam in eventum non factæ, ut supra per
dictum Commissarium obligationis ante
presentium publicationem, præsens con-
cessio nulla sit eo ipso, neminique suffra-
getur: pro terminis vero, & residuis præ-
cedentium sexenniorum decursis, & non
solutis, si qui extant, solvantur ducati hu-
iusmodi ad rationem ejus valoris, ad quam
hætenus fuit consuetum solvi, utque Fab-
brica, seu illius Congregatio prædicta pro
damno, quod ratione solutionis eleemo-
synæ prædictæ in minori quantitate, quam
veri valoris unius scuti aurei, & unius Julii
prædicti pro sexenniis præteritis factæ
passa est, nihil omnino petere, neque damnum
huiusmodi sibi refici, & refarciri præten-
dere ullatenus possit; Imponentes illi ea
super re perpetuum silentium: demum, ut
presentes literæ ad omnium notitiam du-
ci possint, decernimus, quod earum
exemplis etiam impressis manu alicujus
Notarii publici subscriptis, & sigillo per-
sonæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ
munitis, eadem prorsus fides tam in judi-
cio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præ-
sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ,
vel ostensa.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annu-
lo Piscatoris, die 14. Augusti 1668. Pon-
tificatus nostri Anno II.

Transumptis
fides danda.

Dat. die 14.
Aug. 1668.
An. II.

LXXII.

Licentia Duci, & Senatui Reipublicæ Ven-
etorum vendendi quædam bona Ec-
clesiæ S. Marci Venetiarum, eorumque
pretium convertendi in usus presentis
Belli Contra Turcas.

Ex Regest. in
Secret. Breve.

Dilecto filio nostro Joanni S. R. E. Cardi-
nali Delfino nuncupato Patriarchalis
Ecclesiæ Aquilegen. ex concessione, & di-
spensatione Apostolica Presuli, ac Vener.
Fratri Laurentio Archiepiscopo Cartagi-
nen. nostro, & Apostolicæ Sedis in Domi-
nio Venetorum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noster, ac Ven. Frater salutem,
& Apostolicam benedictionem.

§.1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt di-
lecti filii Nobiles viri Dux, & Se-
natus Reipublicæ Venetiarum, quod cum
ejusdem Reipublicæ facultates ex causa
Belli, quod contra Turcarum Tyrannum
ejus ditionem jamdiu, & nunc acris, at-
que formidabilis, quam antehac infestan-
tem gerit, plurimum accisæ sint, prom-
ptoque ad ipsius Reipublicæ tuitionem opus
sit pecuniarum subsidio, quod in presen-
tibus rerum angustiis parari vix potest; Ad
Ecclesiam vero Ducalem, ac Seminarium
N n ducæ.

Motiva præ-
sentis Consilii
tutionis.